

Attingens defessa velut moerentis imago  
Vertitur;  
quam quidem Graeci

Engonasin vocant, genibus quia nixa feratur.  
Hic illa eximio posita est fulgore Corona.

Atque haec quidem a tergo; propter caput autem  
Anguitenens:

Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graji.  
Hic pressu duplici palmarum continet anguem,  
Atque ejus ipse manet religatus corpore torto:  
Namque virum medium serpens sub pectora cingit.  
Ille tamen nitens graviter vestigia ponit,  
Atque oculos urget pedibus, pectusque Nepa*ī*.

Septem autem triones sequitur

Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes:  
Quod quasi temone adjunctam prae se quatit Arctum.

Dein quae sequitur, huic Booti

— subter praecordia fixa videtur

Stella micans radiis, Arcturus nomine claro:  
cui subjecta fertur

Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.

Cap. XLIII. Tum quae sequuntur, ita dimetata  
signa sunt, ut in tantis descriptionibus divina sollertia  
appareat.

Et natos Geminos invises sub caput Arcti.

Subjectus mediae est Cancer, pedibusque tenetur

Magnu' Leo, tremulam quatiens e corpore flammam.

Auriga

Sub laeva Geminorum obductus parte feretur.

Adversum caput huic Helice truculenta tuetur.

At capra laevum humerum clara obtinet — —

Verum haec est magno atque illustri praedita signo.

Contra Haedi exiguum jacint mortalibus ignem.